

Hac dosi per quatuor septimanas continuatum fuit.

Prodibant tunc sputa bene cocta, pectus fiebat liberum, appetitus magnus, alvus quotidie ter, quaterve solvebatur glutinosa, ægri vires bonæ erant.

Et quoniam dein omnis fere tuſſis aberat, ægerque bene ſe habuit, ab uſu pilularum ceſſatum eſt.

EXRPERIMENTUM VII.

NObilis matrona, 47. annorum, incidit ex ira vehementi in hai-moptoen.

Venæ ſectionibus & remediiſ va-riis tunc secundum indicationem ad-hibitis, ſanguinis prodeuntis quidem copia minuebatur, ſputum tamen ma-nebat ſemper multo ſanguine tintutum.

Ad-

Adstringentia, opiata, involventia,
&c. retinuerunt sputum, cohibuerunt
tussim, & pectoris anxietates excita-
runt, & febrim, & delirium.

Nec malum levabant: etenim pau-
lo post iterum major sanguinis copia
tussi violentissima protrudebatur.

Tentavi Hyosciami extractum, &
ter de die dedi granum unum.

Eodem die observabam, sputum mi-
nus sanguinis secum habere, & ægra
pectus levari sentiebat.

Noctu tamen tussis irrita & defa-
tigans opio debuit mitigari.

Altero die eadem pilularum dosi
continuatum fuit. Sputum tum prodiit
glutinosum, subflavum, & paucæ tan-
tum striæ, aut puncta sanguinea in eo
conspiciebantur.

Ter-

Tertio die dabantur ter bina extracti grana.

Appetitus inde excitabatur, alvus antea segnis & difficilis jam sine ullo molimine soluta est, secessitque per inferiora multum gluten.

Nil amplius sanguinis in sputo, quod copiosum, & bene coctum erat, reperiebatur, & augebantur ægrotantis vires.

Septimo die jam novem grana per diem dedi, sputum ejiciebatur libere, nec ægra amplius sensit eos spasmos, qui ante pilularum usum toties pectus faucesque ita constrixerunt, ut suffratio esset timenda.

Undecimo & duodecimo die advertit ægra semper quadrante horæ post assumtas pilulas oriri levem dolorem

lorem colicum, & tum solvebatur alvus,
prodiitque multum gluten, & materies
simillima ei, quæ sputis rejiciebatur.

Ægra inde se affici & debilitari con-
questa est, unde fuasi, ut ab usu harum
pilularum per aliquot dies cessaret.

Observavi autem tunc, appetitum
diminui, & post paucos dies pectus
erat anxium, nec debito tempore
prodiit alvus.

Rogavit igitur, ei iterum pilulas ex-
hiberem.

Sumit nunc per tres septimanas
quotidie tria grana, & appetit, bene
dormit, excretiones rite procedunt,
& restaurantur vires.

EXPERIMENTUM VIII.

Homo, 30. annor. ex ira & su-
bito terrore adeo melancholi-

cus